

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema Cl.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

1. Vbi hoc vnum hic paulo altius repetemus; scilicet, unde fiat, quod homo sic marcescat? Peccata sic ipsum faciunt marcescere, exsiccari, & c. sicut hoc loco habetur. Est enim mors stipendium peccati, Rom. 6. Inde ira Dei hoc tribuitur, Psal 90. v. 7. & 9.

2. Itaque non superbiendum, dum folium adhuc viuet in arbore. Cogita de tempestate siccante, vento deuiciente folium. Cauenda peccata, & hoc agendum, vt reuiuiscamus cum gaudio. Ne simus impii, quos ventus dissipat, Psal. .v. 4. Sed vt iterum colligamur per Angelos à 4. ventis, Matth. 24. v. 31. postquam mors dissipauerit, vtique efflorescamus in nouissimo die, Esa. 26. v. 19.

F I N I S.

THEMA C.

Ezech. 33. v. 11.

*Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed magis, &c.*

Dispositionem huius Thematis vide supra, in I. parte Promptuarii, Classe VII. Num. VII. pag. 723.

THEMA CI.

Ezech. 37. v. 1. ad 11.

*Visio Prophetæ de ossibus aridis reuiuifcentibus.*

D I S P O S I T I O.

Famosa est hæc visio, & omnium Ecclesiarum Christi lectione celebrata. [Sic enim Hieronymus orditur explanationem huius loci] Etq; plane singularis hic locus, cui similis non erit in vniuersa historia sacra. Notandum autem, quod Propheta disertis verbis innuit, non corporalem istam fuisse visionem, quam viderit Ezechiel oculis corporeis; sed in spiritu ipsi hanc visionem monstratâ, sicut id Propheta erat solenne. Eduxit enim ipsum manus Dei, non in corpore, sed extra corpus. (Sic Hieronymus sentit.) Quamuis alias Paulus nesciat an in corpore  
vcl

vel extra corpus fuerit, cum passus est ecstasin illā 2. Cor. 12. v. 2. *Das er in Versückung solch d'ing gesehen.* Spiritus enim Domini tale spectaculū obiecit Prophetæ, vt videat tanquam in latissimo campo, iucundam istam visionem.

At non propter ipsum prophetam, sed propter alios, adeoq; propter nos etiam talis visio ostenditur. Vt illam aliis proponat. Hanc totam visionem in duas partes diuidemus. Et primū ossa emortua & arida. Deinde etiam reuiuiscencia contemplantur, cum Propheta in spiritu Domini.

I. Pars.

Educitur Propheta (in spiritu Domini) in campū spatiosum, qui plenus erat humanis ossibus. Sicut accidit in illis locis, vbi aliquando tempore belli maxima hominum strages facta est. Ossa autem illa arida sunt, nec operata humo, sed passim per totum campum dispersa. Et vt multa sunt: ita sicca & arida nimis, in quibus nullus amplius succus erat. Quia temporis vetustate sic exaruerunt. Circum hæc ossa in gyro circumducitur Propheta in spiritu, vt illorum multitudinem & qualitatem possit satis bene contemplari. Audit autem Propheta vocem Domini interrogantem ex ipso: Vtrum existimaret hæc ossa iam posse reuiuiscere. Respondet Propheta absque mora: Domine Deus tu nosti. Non est hæc vox dubitantis, sed asserentis, & voluntatem Dei pro potestate illius habentis, Et idem est ac si diceret, Domine Deus tu nouisti quomodo hi sint occisi & mortui: Tu etiam nosti modum viuificandi ipsos. Quod si tu volueris, viuent vtique, iam statim. Si nolueris, iacebunt si diutius arida & emortua. Tu ergo nouisti, num velis ossa illa viuificare iam statim, an alio tempore.

Lo c v s. Confitemur quidem omnes in symbolo, Credo resurrectionem carnis; At multi inter nos sic sunt affecti, vt dubitem, si illi fuissent loco Prophetæ an faciunt responsuri Domino idem quod Hesekiel noster. Cer-  
te si

te si rationem suam velint consulere homines, responde-  
bunt Domino, *hinc ist hic*. In æternum non reuiuiscunt il-  
la ossa arida. Quomodo possent viuere, quomodo con-  
iungi, quomodo carne & cute superindui? Wer will sie  
zusammen klauß / vnd wissen / wo ein jedes hin gehört?  
At pie & eleganter responder Prophetæ. Et notanda est  
illius responsio. non tantum propter hunc articulum, sed  
propter omnes alios, quæque videntur, absurdi rationi  
humanæ.

Semper dicendum: Ego credo id, quod scriptura futu-  
rum affirmat. Quomodo id futurum, meum non est inqui-  
rere. Tu nosti modum Domine. Exemplum, Christi cor-  
pus & sanguinem nobis in sacra Cæna cum pane & vino  
distribui, asserit scriptura. Quomodo id fiat, nouit Domi-  
nus. Idem de cæteris.

Et tenenda sunt in his mysteriis hæc axiomata.

1. Verbum Domini est veritas, Joh. 17. v. 17.
2. Apud Deum nihil est impossibile, Luc. 1. v. 37.
3. Fides est rerum non apparentium, Heb. 11. v. 1. Et  
captiuanda ratio in obsequium Christi, 2. Cor. 10. v. 5. Id si  
facerent aduersarii, non negarent Christi (vel in Cæna,  
vel extra illam) omnipræsentiam: non omnipotentiam,  
de qua Matth. 28. v. 18. & 20.

Si autem tantum volumus credere, quod videmus &  
intelligimus, nullus articulus symboli fidem merebitur.

Eleganter Augustinus: In talibus rebus (quæ absurdæ  
sunt rationi humanæ) tota ratio facti consistit in poten-  
tia facientis. Ideoque demus Deum aliquid posse, quod  
nos fateamur inuestigare non posse. Epistol. 3. ad Voluf.  
Item: Velle Dei est posse eius. De spec. cap. 8.

Et: Non de maiestate diuinæ sapientiæ, arbitrio hu-  
manæ vanitatis est disputandum: De prædest. & gratiæ  
cap. 5.

### I. Pars.

Iubet Dominus Prophetam, vt vaticinetur, id est, allo-  
qua-

quatur ossa arida, in nomine Domini. Audite verbum Domini ossa arida, Volo vt viuatis. &c. Fit illud. Videatur Textus. Ecce ossa audiunt vocem Domini, primumq; ossa cum ossibus, neruorum vinculis colligantur: deinde implentur carnibus, & desuper extenditur cutis. Sicque ossa in suam applicata compagem, adstricta neruis, plena carnibus, pelle cooperta iacent, integra humana corpora. Et sicut primus Adam insufflante spiritu factus est in animam viuentem: ita hæc corpora insufflante spiritu (qui vocatur ventus) viuificentur. Res mira.

Reuiuiscunt, quæ modo erant ossa arida, stant super pedes suos, & fuit illorum exercitus magnus valde &c.

Locvs. Quamuis autem hac visione Dominus populum suum (cum in captiuitate Babylonica agentem) voluerit consolari, (vsquequæntia verba capituli demonstrant) quod si potuerit mortuos in vitam reuocare, possit etiam ipsos in patriam reducere: tamen nobis simul hic adumbratur generalis & vniuersalis illa mortuorum resurrectio. Estque confirmatio articuli de resurrectione carnis, vbi non tantum ossa iunguntur ossibus, sed minutissimi etiam puluisculi corporis humani in vitam reuocabuntur. Testimonia extant in veteri & Nouo Testamento, Job. 19. v. 25. Dan. 12. v. 2. Joh. 5. v. 8. 1. Thess. 4. v. 16. Erit vere exercitus magnus.

Et notandum, si ossa arida audiuerunt vocem Prophetæ, quanto magis mortui audient vocem filii Dei, Joh. 5. v. 28. 1. Thess. 4. v. 16. Ideoq; is, dum in terris conuersaretur suscitauit alios in lectulo Mat. 6. v. 25. alios in feretro, Lu. 7. v. 15. alios in sepulchro, Johan. 11. v. 4. vt ostenderet: Omnes defunctos resuscitandos.

CONSOLATIO hinc petenda, si videamus sic nutari ossa carnibus, vt appareant fœda, & tam abominabilia, quæ vix aspicere, multo minus tangere cupimus, & cætera, nos tamen sciamus, illa superinduenda suo tempore.

ADMONITIO. Quia corpora nostra coram DEO appa-

apparitura, demus operam, ne inquinemus illa peccatis, aut vt mox iterum mudentur, Esa. i. v. 18. Munda autem sanguis Christi, i. Joan. i. v. 7.

F I N I S.

## THEMA CIL.

Daniel. 12.

*Multi qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt: alii ad vitam æternam, alii ad ignominiam æternam.*

## DISPOSITIO.

Hæc sunt verba non hominis, non Prophetæ, sed Angeli de cælo, qui missus fuit à Deo ad Danielem Prophetam, in forma hominis induti hincis, cuius facies similis aspectui fulguris, oculi sicut lampades ignis, & c. Dan. 10. vers. 6. Quia igitur alias libentius audiremus (sic enim curiosum temper est ingenium humanum (aliquem ex mortuis venientem, sicut illi Luc. 16. v. 30. aut Angelum de cælo mirabilia narrantem, quam verba Prophetarum aut Apostolorum, quæ nobis sordent interdum, tanquam obsoleta & nimium vulgaria? ideoque hic attendamus verbis huius magnifici, & mirabilis concionatoris. Is vero nobis de cælo adfert explicationem duorum articulorum symboli, videlicet Vndecimi, qui est de resurrectione carnis: & Septimi, qui de iudicio extremo sonat. Primum itaque Angelum Domini audiamus, de resurrectione mortuorum differentem. Deinde de separatione hominum resurgentium futura, (*Wunder absonderung oder Abtheilung/die da sollen surgehen.*) quæ ad iudicium extremum pertinet.

## I. Pars.

Eleganter autem angelus de mortuorum resurrectione loquitur, vt ostendat, quale de defunctis iudicium sit in cælo.

I. Qui dormiunt, inquit, in terra. Mortuos dormien-

X tes